

duximus appendendum. Actum et datum in castro nostro episcopali Stolpn anno domini M° CCC° LXVI°. dominica Invocavit.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Dresden mit dem beschädigten Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen.

No. 64. 1366. 17. Mai.

*Bischof Johann von Meissen vermehrt die Einkünfte des früher von ihm in der Capelle zum h. Kreuz gestifteten Altars der h. Barbara.*

In nomine domini amen. Nos Johannes dei gratia episcopus Misnensis notum facimus universis praesentes litteras inspecturis, quod cum redditus et proventus altaris in honore gloriosae virginis et martyris Barbarae in capella sanctae Crucis in Dresden nostrae diocesis olim per nos fundati constructi et erecti adeo tenues et exiles existant, quod rector seu altarista eiusdem altaris exinde non bene possit habere congruam sustentationem, nos vero redditus et proventus dicti altaris pia aviditate moti ac speciali devotione quam ad praedictam gloriosam virginem et martyrem Barbaram gerimus ducti pariter et incitati et redditus huiusmodi et proventus memorati altaris augmentandos duximus pariter et augendos cum redditibus infra scriptis, ut puta cum duabus sexagenis latorum grossorum minus viginti hallens. Vribergensis monetae annui census, qui quidem census solvitur de bonis sitis in villa et pago villae dictae Kesselsdorf<sup>a)</sup> sitae in districtu Dresdensi, qui inquam census per mortem olim Friczkonis de Luben felicis recordationis iure devoluto ad nos pervenit. Item octo modiis siliginis et duobus talentis cerae, qui quidem census solvitur de quodam molendino sito in defluxu aquae vulgariter dictae Wistritz<sup>b)</sup> a villa Plawen<sup>c)</sup> prope Dresden, quod quidem molendinum habet et possidet pronunc quidem dictus Mattei. Item novem modiis sigilinis et totidem avenae sitis in villa Wyssog<sup>d)</sup> sita in eodem districtu Dresdensi, annui census. Et praedictum censum de expresso et unanimi consensu pariter et assensu capituli ecclesiae nostrae Misnensis donavimus — ac praesentibus donamus — per rectorem seu altaristam dicti altaris — percipiendum annis singulis ac perpetuis temporibus possidendum, ut ex augmentatione reddituum huiusmodi et proventuum lautius et quietius vivere valeat et deo ac eximiae virgini et martyri Barbarae saepefatae liberius possit famulari. In quorum omnium testimonium praesentes litteras scribi fecimus et nostri sigilli maioris appensione muniri. Actum et datum in castro nostro episcopali Stolpen anno domini M°. CCC°. LXVI°. decima septima die mensis Maii.

Et nos Albertus Knut praepositus, Theodericus de Goch decanus totumque dictae Misnensis ecclesiae capitulum recognoscimus, quod appropriationi incorporationi annexioni et unioni praedictis ac omnibus et singulis supra scriptis nostrum adhibuimus consensum ac favorabiliter adhibemus, appendentes huic litterae sigillum nostri capituli in evidentiam huiusmodi nostri consensus pleniorum.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit den beschädigten Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

Hasche Urkundenb. S. 129.

a) Kesselsdorf, Eph. Dresden. b) Die Weisseritz. c) Plauen, Eph. Dresden. d) Weissig, Eph. Radeberg.